Veſtrâ jam fretus benevolentiâ, absq; ullis ambagibus ad re ipſam me conferam, noſtrumq; Heſiodum Poëtam veruſtiſſ deſcribendum mihi proponam. Quod ut juſto ac præſcripto ſi ordine, ante omnia Patria ejus nobis eſt indaganda. Qu ritis igitur Auditores Optimi, quænam ſit Patria Poëtæ noſtri? Paucis illam vobis monſtrabo. Habuit Patriam Heſiodus Cumam, non verò Cumam, Campaniæ Civitatem ſed eam Cumam, quæ Herodoto, Strabone & Stephano teſtib ante Leſbum ſita, urbibus Æolicis annumeratur, & ab Amazon quadam, quæ dicebatur Cuma, ita denominatur. Unde & â non nullis, teſte Suidâ, Cumæus Vates dicitur. Quò etiam reſpexiſſe putatur dirinus ille Poëta Virgilius, Valerio bo adſtipulante, quando cecinit in Bucolicis:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Heſiodus nempè Cumæus primus omnium fuit, qui ætates metallorum nomine diſtinctas vocitaverit primam auream, alte argenteam, tertiam æream, & quartam deniq; ferream, id quod evidenter videre eſt ex opuſculo, cui titulus eſt, Ἔργα καὶ ἡμέραι. Patet igitur, patet Poëtam noſtrum non alii dè, quam â Cuma Æoliæ Civitate oriundum eſſe. Ad parentes ejus Vobis recitandos tranſeo. Patrem habuit Heſiodus Dium Ampelidis filium, qui ex Menaloro Athagen Critonis filio natus erat, Matrem verò Pycimeden. Hi paren tes magno ære alieno obſtricti, cum unde redderent debita, non ha berent, in Bœotiam demigrarunt, ſedemq; ſibi fixerunt in Aſcra pago quodam ignobili ac ſterili, quem etiam ipſe Poëta, referente Strabone, his damnavit verſibus:

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

H. E.
Aſcram rus miſerum, prope hic Heliona colebat,
Hyberno dirum, triſte æſtu, gratabile nunquam.

Atq; hic ipſe pagus creditur in quo puer Heſiodus educatus, unde & Aſcræus cognominatus, ut Virgilius in Bucolicis:

Hos tibi dant calamos (en accipe) Muſæ,
Aſcræo quos ante ſeni etc.

Quum verò locus ille in Bœotia ſitus, dictus quoq; eſt Poëta noſter Bœotius, quo nomine venit apud Columellam ita loquentem: Non minimum contulit profeſſioni noſtræ Heſiodus Bœotius. Nunc de vitæ ejus genere non nihil Vobis enar